



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

In Natalem S. Joannis Baptistae, Elias Fatidicus. Ad Ill. V. Petrum Danielem
Huetium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Quos illi cultus & religionis honores
 Non referam, gratus Musis Phoëboque sacerdos;
 Victima erunt lacrymæ, & dulci suspiria questu
 In numerum sociata, & gaudia mista dolori.
 Ipse comam lauri redimitus fronde nitentem,
 Concipiamque preces & non improspera vota:
 Quæ, si nec surdum est, nec duro durius ære,
 Audiet, æque sinu nolet discedere nostro.

IN NATALEM S. JOANNIS BAPTISTÆ,

ELIAS FATIDICUS.

AD ILL. V.

PETRUM DANIELEM HUETIUM.

VOS mihi nunc sacrum natalem, ortusque beatos
 Zacharidæ pueri, quo tota exultat Idume,
 Cui Libani & celsæ salierunt Thaboris arces,
 In numerumque suas Jordanes impulit undas;
 Dicite coelicolæ. Nam primi nomen, & ingens
 Præcistis longe decus; ignaroque parenti
 Promissæ fato prolis monstrastis honorem.
 Tuque adeo Isacidum jam felicissima matrum
 E latebris erumpe tuis. Tibi dedecus alvi
 Ista dies, sterilisque senectæ opprobria demit:
 Atque moræ tanto pensat fastidia partu.
 Nec vero tibi consuetos Lucina dolores
 Attulit enixu in primo: nec dulce parentis
 Quæsitum multo tribuit discrimine nomen.
 Sed facili castus solvit se pondere venter
 Sponte sua. Qualis maturus ab arbore foetus

Qij

Labitur ; aut rignus liquefactis nubibus olim
 Ros cadit in terras. Tibi enim , tibi Virgo pudicos
 Fœta sinus , totumque utero complexa Tonantem ,
 Adfuit , admovitque manus. Illa oscula nato
 Prima dedit ; prima arridens ad pectora pressit ;
 Et tepido teneros artus involvit amictu ,
 Componens cunis ; dixitque faventia verba.
 Nec minus Elysiis sanctorum examina vaturn
 Astiterunt campis : radiato vertice Moses
 Monstrificam quatiens virgam , citharaque decorus
 Jessides , domitique Elisæus terror Averni ,
 Et regum Amosides genus , & qui tristia bella ,
 Versasque urbis opes peregrini Euphratis ad oram
 Dum gemit , ah ! liquidas turbavit fletibus undas.
 Venit & ignito senior per nubila curru
 Thesbites : blandequæ suum complexus alumnum ,
 Præscia venturis fati sic ora recludit.
 Sancte puer , quo non alius sub luminis auras
 Fœmineo major nixu , nec carior astris
 Prodiit Adamidum ! non te florente juvenia
 Consuetis victi illecebris genuere parentes :
 Inque tuos ortus partem sibi nulla libido
 Vindicat. Effœtos sed quæ succendit amantes
 Cœli flamma fuit , stellisque simillima puris :
 Unde novus fulges aurato Lucifer igne ,
 Antiquam removens noctem mortalibus ægris ,
 Præque tuo veniens optatum lumine solem.
 Sancte puer , non te mollis contagia vitæ
 Crescentem inficient , blando illudetque veneno
 Corporibus pariterque animis damnosa voluptas.
 Sed simul ipse gradu poteris consistere , sylvas
 Et deserta petes Solymis spelæa relictis :

Mel ubi agreste famem, tristique sapore locusta
Pellent, præteriensque sitim solabitur amnis.
Pro molli pluma, pro stratis murice pictis
Nuda torum præbebit humus, tenerosque camelus
Intonsis horrens fetis male vestiet artus,
Interea nexu & terrenæ pondere molis
Liberam mens, sedes rutilas inviset Olympi,
Unde illi genus: & cœlestum crebra fruetur
Colloquiis: numenque oculis mirantibus ipsum,
Hauriet, obtutuque hærebit fixa beato
Usque inhians. Nec sese unquam divertat ab illo
Ni patriæ clamor, jactæque ad sidera voces
Languentum Isacidum, & duro sub fasce gementum,
Numine placato rebus succurrere lapsis
Continuo admoneant, finemque afferre malorum.
Quas autem lacrymas tibi, quæ suspiria mœsto
Corde trahet, regem spectandi ablata facultas;
Virgineo quem clausum utero, sterili ipse parentis
Ventre latens quæstisti, exultastique reperto?
Illum inter scopulos, & seræ noctis in umbra,
Et cum exorta diem mundo reparaverit Eos,
Voce vocans, Stygii orabis crudele tyranni
Imperium ruat, & mortales extrahat Orco.
Ast ubi ter denis tandem natalibus ætas
Fecerit aucta virum; loca sylvis avia linquens,
Cœrulei, monstrante Deo, Jordanis ad oram
Consistes, cœlo venturæ nuntius iræ
Abramidis: ni mutati commissa retractent,
Seque suumque nefas purgent lustralibus undis.
Ergo omnis subito instinctu concurret ad amnem,
Et vacuas Judæa suis mirabitur urbes
Civibus. Has asper vestis rigor, atque verenda

Genimina viperarum. Jam securis ad radicem posita est.

Illuvies oris, victu & jejunia duro
 Producta illicient. Nec amaræ fulmine linguæ
 Interea parces luctantia frangere colla
 Vipereæ gentis ; sjanque ab radicibus imis
 Admotam sterili ficu intentare securim.
 Queis plebis moti proceres , patrumque senatus
 Promissum oraclis sibi per tot sæcula regem
 Advenisse ferent : dominumque agnoscere, & ultro
 Sceptra tibi , ac rerum venient permittere habenas.
 Tu constans animi temeraria vota refelles :
 Nec mentem tibi regnandi tam dira cupido
 Inflectet , vetito ut libeat servire favori.
 Maecte nova virtute. His artibus ignea ovantem
 Astra super feret aurato te gloria curru.
 Agnoscis juvenem, cui cœlo allapsa columba
 Dat plausum ingentem pennis ; tonitruque sereno
 Blanditur , natum appellans , vox missa per auras,
 Mortali Deus , ipse Deus sub corpore numen
 Dissimulans , sacro dignatur gurgite tingi ,
 Misceturque reis insons. Quid dulcis amantem
 Non cogat pietas ! Tu vero perforce jussus
 Grande ministerium. Veniet tibi nomen ab illo ;
 Baptistæque ætas mirabitur omnis honorem.
 Incesto ante tamen debes crudele tyranno
 Ludibrium. Video mensas , quas potus equino
 Sanguine Massagetes , Hircanique accola ponti
 Horreat. Heu ! fractos lasciva puella per artem
 Emollire gradus , & brachia docta movere
 Ad numeros , madida saltatrix sævit in aula :
 Turpis & in pretium ludi petit impia mortem
 Vatis : marmoreaque caput cervice recisum
 Fert disco infandæ gratissima munera matri.

Hæc

Hæc vultus , primaque oculos in morte natantes ,
 Oraque , adhuc tacitâ Venerem damnantia voce
 Illicitam , digitis tractare immitibus audet :
 Dira & pungit acu , vetitos ne turbet amores ;
 Terrificamque jubet servare silentia linguam.
 Atque hic singultu verba interclusa relinquens
 Thesbites , fugit Elyfias non lætus ad umbras.

MUSICI METAMORPHOSIS IN LUSCINIAM.

A D V. C.

JOANNEM HAMELIUM

CANONICUM ET ARCHIDIACONUM ROTHOMAGENSEM.

HARMONIÆ claro Phœbi de femine proles
 Unica Luscinus quondam fuit ; omnia patri
 Persimilis , roseos vultus , & eburnea colla ,
 Et flavos crines : vocem de matre ferebat.
 Seu pharetram , atque humerisabilem suspenderat
 arcum ;
 Phœbum arcu , & sumpta jurasses stare pharetra :
 Seu nervo impulerat volucres stridente sagittas ;
 Continuo jussæ feriebant signa sagittæ.
 Non tamen hæc tantum , quanquam hæc quoque jure
 placebant ;
 Quantum vox puero placuit sua. Prima voluptas ,
 Primus amor vocis : nec erat felicior alter
 Et canere , & blando moderari pollice chordas.
 Harmonie scires illum didicisse magistrâ.
 Quin adeo , ut perhibent , materna lapsus ab alvo ;

R.